Johannes Georgii Vibergii
[Sadolin:]

Παιδεία


1553.














BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS





IOHANNIS GEORGII VIBERGII παιδεία, SEV INSTITVTIO, PIO STVDIO EDITA IN VSVM PVERORVM.

Accesserunt Disticha moralia eiusdem.

VITEBERGAE.
Ex officina Typographica Viti Creutzer.

1553.

AD SERENISS: DANORVM REGEM CHRISTIANVM TERTIVM

EPIGRAMMA.

REx superûm Christus quē nulla potentia sternet
  A cuius placidum nomine nomen habes:
En, pueros ad se iubet approperare pusillos,
  Nec patitur reprobos hos reuocare uiros.
Mundani referent huius uestigia Reges,
  Quandò uolunt memores nominis esse sui.
Mandabunt illos de relligione doceri:
  Detur ut æterno gloria uera Deo.
Carmina dilecto conscripsi pauca parenti:
  Hinc aliquid pueris commoditatis erit.
Inclyte Rex, unà tibi nostras mitto Camœnas,
  Danica qui Christi numine sceptra geris.
Illas defendes tua cum sit tanta potestas,
  Munia sunt istæc Principe digna uiro.

GEORGIO





GEORGIO IOHANNI VIBER-
gio Patri suauißimo, Iohannes
Georgius filius S. D.

PRæclarè admodum uixerunt ij, genitor carißi-
me, qui suam egerunt ætatem, non equidem in
otio, fabulis, poculis, & alijs illecebris momento mi-
nimo perituris: sed in rebus honestis, humanæq; soci-
etati necessarijs, quarum nullam reputo maiorem ea
quæ consistit in tradendis præceptis de uirtutibus &
honestis actionibus. Qua in re omnes qui saniori fu-
erunt inter mortales iudicio, sic laborârunt, ut cùm
suis profuerint minoribus, tùm uitæ transactæ decus
exteris hominib. palàm fecerint. Horum potius quàm
aliorum, qui spretis tantis studijs, tàm pulcris, tàm
diu mansuris, pabulũ duntaxat more pecudum, quib.
nulla est ratio, turpißimè sectantur, uestigia perse-
qui iandudum in animum meum induxi. Proinde he-
sterna luce præcepta nonnulla moralia, de quib. olim
præceptores mei me admonuerũt, in gratiam puero-
rum congeßi, unde rudiores animi aliqua ratione ad
pietatem honestatemq́;, præparentur. Ineuntis enim
ætatis inscitia optimis & utilißimis regenda est con-
silijs, quibus obseruatis totius uitæ cursus expedietur.
Tibi uerò, mi pater, hoc carmen filius offero, ut ui-
deas quid spei sit in me deinceps perueniendi ad maio-
ra. Oro æternum & uiuũ Deum, ut studia nostra re-
gat ad gloriam nominis sui & utilitatem Reipublicæ
Christianæ. Vale cum tota familia. Vitebergæ.

SVmme pater rerum uitæ moderator & autor,
Qui sacro uatum flamine corda foues:
Pectoribus sanctum nostris immitte calorem,
Vt pueris tradam dogmata sana bonis.
In mea uota ueni cunctis antiquior annis,
Christe Palæstina uirgine nate Deus.
Munera quandò tibi Chaldæi opulenta dedêre,
Tu quoq; congreßis uatibus æquus eras.
Meq́; iuua summi Patris, natiq́; potestas,
Spiritus æthera qui datus arce uenis.
Sol oritur: pueri iamiam procedite parui:
Consilium nostrum discite: numen adest.
Vera mihi faciles mentes adhibete docenti,
Quæ puerum quondam me docuêre senes.
Sat scio quòd spernant homines mea dicta profani.
Nec mirum, reprobis non Deus ipse placet.
At uos, ô pueri, commercia linquite praua,
Seruantes soli corda sacrata Deo.
Pectora nam seruare illi sapientia prima est:
Stultitia est magni temnere iussa Dei.
Verba rebellantes conculcant aurea Christi:
Suscipiunt sanctum pectora sancta iugum.
O utinam miseros mortales cernere possem
Vnanimes olim iungere corda Deo:
Non foret in mundo tàm magna caterua Cyclopum,
Qui populo Christi nil nisi bella mouent.

Insana

Infandum dictu, nec forti milite dignum eſt,
In cœtus aciem nolle ſubire pij.
Omnia ſunt hominum cauſa quæ continet orbis:
Conditus eſt cauſa relligionis homo.
Clara ſalutiferi diſcentes dogmata regis,
Moribus ornetis pectora ueſtra bonis.
Nos bona uita Deo ſimiles, ſi dicere fas eſt,
Reddit: monſtroſos nos mala uita facit.
Mentibus humanis cum ſit cœleſtis origo,
Et ſint ſupremi mentis imago Dei:
Turpe equidem reputo ſi nos mala facta ſequamur,
Quos partem ſummæ mentis habere decet.
Non facies quicquid ſuadet uicioſa libido:
Inſpicies prudens aggredienda prius.
Lumina nec facies paßim ſine mente uagari:
Conſtantes oculos cum grauitate geres.
Aſpicienſq; Deum procedito corpore recto.
Incuruos animos corpora curua decent.
Erectam nobis formam natura Deusq;
Conceßit, mundi ut ſuſpiciamus opus.
Mirantesq; manum fabricantis ſidera celſa,
Laudemus uerum pectore & ore Deum.
Diſcite mortales cognoſcere facta Tonantis,
Quæ nobis aliquod numen adeſſe probant.
Non ſine diuino conſiſtit numine quicquam,
Nec dubio caſu cuncta creata ruunt.

Corpora nostra uelut ductu rationis aguntur:
Sic regitur summo machina tota Deo.
Rectorem nobis monstrat res quælibet, atq;
Nunciat æternum paruula stella Deum.
Hic patribus nostris sese patefecerat olim,
Quos docuit quali uult pietate coli.
Nec boue mactato, nec raso uertice gaudet
Dummodo cognoscat pectora iusta, Deus.
In cithara sicut perit omnis gratia cantus,
Vnica si forsán non benè chorda sonet:
Sic ubi uitæ aliquam labefactant crimina partem,
Lapsa penes superos gratia tota tibi est.
Ergò quicquid agas sapienter, respice uiuum
Qui iusto cernit lumine cuncta, Deum.
E rutilo iustis ueniet benedictio cœlo
Qui Christum quærunt, iustitiamq́; colunt.
Iustitia est homini sancto thesaurus opimus,
Terribilis quem mors non uiolare potest.
Præcipuè studeas patriæ seruire saluti,
Vt maneat cultus tempus in omne Dei.
Et maneat legum patriæ cum flore potestas,
Hei mihi, non bello res habitura locum.
Virtutis qui non, patriæq́; tenetur amore,
Non hominis iusti nomine dignus erit.
Tempore Romanus laudatur Curtius omni,
Vrbem qui uoluit morte leuare sua.

Commendo

Commendo Decios propria qui morte fugârunt
Hoſtes, pro populo dùm fera bella gerunt.
Quis te Codre queat, quis te Thraſybule ſilere
In ciues quorum maximus ardor erat?
Sed perijt ueterum uirtus, pietasq; fidesq;
Vsqueadeò tetrum regnat ubiq; ſcelus.
Hei mihi, quòd iam nullus amet patriamq; Deumq;,
Hei mihi quòd tàm ſint pectora cæca ducum.
O pueri in melius ueſtras inflectite mentes,
Ne ruat indomita patria fracta manu.
Auxilium quandóque petet Reſpublica ueſtrum,
Cui ſe progenitum quilibet eſſe ſciat.
Fortia ceu ualidi coniungunt corpora nerui,
Sic firmant artes regna beata bonæ.
Si pereant artes nequeunt conſiſtere regna.
Fac ergò ſtudeas artibus ingenuis.
Bellator patriam defendens fortiter armis,
Quæ meruit ſertis tempora uinctus eat:
Conſilijs populos ſanis qui ritè tuetur,
Præmia quæ poterunt huic ſatis apta dari?
Hæc eſt nobilitas, hæc uera & maxima uirtus,
Tutari patriæ cum pietate ſtatum.
Geſta patris laudo, generis monumenta celebro,
Commendo te ſi ſis pius atq; probus.
Si tibi fortaßis robur natura negauit,
Artibus eximijs iſta rependc mala.

Non me formauit natura ad prælia Martis,
Vtilis ingenio consilioq; fui.
Inualidum mihi corpus erat pinguedine pauca,
Quod facilè cernet callidus astrologus.
Me nascente domum uitæ pia uirgo tenebat,
Limine & in primo Thessala puppis erat.
Sæpè pugil nitidum uibrando fortiter ensem
Assueta subij dura pericla manu.
Hac, dilecte puer, uitam ratione guberna,
Naturamq; iuua sedulitate tuam.
Proximus esto labor dulces redamare parentes,
Heu, tua queîs magno uita labore stetit.
Hi præcepta tibi cùm tradunt uera salutis,
Non renues sancto subdere colla iugo.
Filius ut sapiens adamat matremq; patremq; :
Sic grauibus curis stultus utrunq; premit.
Confectos senio & miseros refoueto parentes,
Vt sic tota tibi sit benedicta domus.
Fumifero patrem qui defendebat ab igne
AEneæ similis, mi puer, ecquis erit?
Ardor in hoc seclo res est rarißima recti.
Vix pietatis amans unus & alter adest.
Virtus prisca perit, puerorum corda profanat
Gnatis indulgens mens scelerata patrum.
O patres patres, natos seruare studete
Dilectos, ætas dum puerilis adest.

Stultitia nimia puerorum corda redundant:
Correctrix morbum tollere uirga potest.
At uos ne, pueri, mitis censura parentum
Turpiter assuetos rumpere frena grauet
Qui carum spernit genitorem hunc spernet Iesus,
Cùm pueris dentur cœlica regna pijs.
Pro te sustinuit mater ueneranda dolores,
Hanc temnens coruis esca futurus eris.
Non secus ac uentis agitatus puluis inanis,
Inter mortales gnatus iniquus aget:
Ornabit iustos homines benedictio Christi,
Vt generis uideant semina clara sui.
Talibus & uerè, nec me sententia fallet,
Diuitiæ uenient, gloria, fama, salus.
Hoc quoq; mandatum figes, puer optime, menti,
Vt præceptorem semper amare uelis.
Is mentem format, genitor tibi corpus adornat,
Quocirca neutrum spernere iure licet.
Immeritò quisquis mala reddit damma magistro,
Sentiet irati dura flagella Dei.
Non deridebis præceptoremq́; patremq́;,
Dedecus hinc nasci, gloria nulla potest.
Quæ tibi proponit doctus discenda magister,
Discere te summa sedulitate decet.
Otia qui sequitur fatuus residebit & excors,
Cùm ueniet tremulo cana senecta pede.

Laurea nulla datur nisi magno parta labore.
Laudis ob ardorem multa ferenda tibi.
Corpore qui piger est, & nullum natus ad usum,
Non nisi gramineas debuit esse dapes.
Actæo, pueri, fas est astare Soloni
Qui studuit semper plurima scire senex.
Nulla dies abeat qua non didicisse proberis,
Quæ forment mores ingeniumq; tuum.
Nescio quid iuueni poterit contingere maius
Ingenij cultu, moribus atq; bonis.
Ceu lapis obrizo fulget preciosus in auro,
In puero uirtus luceat usque pio.
Exornat teneras pudor atque modestia mentes.
Angelicus refugit corda petulca chorus.
Hac quoq; fac superes reliquos uirtute sodales,
Vt detur capiti digna corona tuo.
Non monitum fugies uenerandi dulce magistri,
Sedulus at facies singula sponte tua.
Artes disce bonas uirtutis ductus amore:
Indomitum lacerent aspera flagra gregem.
Incitat egregium magis obiurgatio pectus,
Quàm pueros unquam uerbera dura malos.
Admonitus toto complectere pectore Musas,
Nec fugito crebri grande laboris onus.
Fac Larissæus quondam quod fecit Achilles,
Illi Phillyrides dogmata quandò dabat.

Attentas aures habuit ſeu uoce magiſter,
Siue Lyræ dulces edidit arte ſonos.
Principis eximij per laudes ire decorum eſt.
Abiectos animos gloria nulla trahit.
Collige iam fructus dùm ſtat tua meßis in herba,
Hoc quoq; formicas nempe decere uides.
Artibus ingenuis releuatur dura ſenectus:
Diuitijs mœror curáq; mentis ineſt.
Si, puer, aſpicias quæ ſunt uentura ſenectæ,
Non lædes feſſos ad fera ſaxa pedes.
Eſt hominis prudentis opus uentura uidere,
Qui uolet aduerſus quodlibet ire malum
Ad te, crede mihi, ueniet ſapientia uera,
Si iuſtos audis doctiloquosq; uiros.
A ſenibus iuuenes multum didiciſſe iuuabit,
Ingenio qui ſunt & pietate graues.
Nec tales pudeat tibi coniunxiſſe ſodales,
Qui doceant te de relligione ſacra.
Peruerſos fuge ſermones & turpia uerba,
Ne uiolent mentem dicta nefanda tuam.
Mentes conſeruant cœleſtia uerba pudicas,
Turpis at euertit pectora ſermo tibi.
Verba ſalutiferi diſces ſanctißima Chriſti,
Vt tua ſit dictis conſona uita bonis.
Quem peccare iuuat, quem ſpernere munera Chriſti,
Heu, deplorata fruge furenter abit.

Dogmata

Dogmata sancta pijs cunctis sunt roscida mella,
Illa licet reprobri felle madere putent.
Consilium ne sperne, puer dulcissime, nostrum,
Quod puero & iuueni proderit atq; seni.
In summum blasphema Deum ne dicito uerba:
Sed precibus Christum tu reuerenter adi.
Nil tibi succedet quantumuis sedulus instes,
Inceptis ueram ni Deus addat opem.
Afflatu Christi cùm pectora munda calescunt,
In superas aulas scandere posse reor.
Mentes imbutæ uicijs factísue nefandis,
Optima non possunt facta uidere Dei.
Stilla magis sanæ mihi mentis perplacet una,
Quàm patulus cunctæ quas habet orbis opes.
O patris æterni sapientia maxime Christe,
Flamine qui sancto corda tenella foues:
Te precor auxilium nostris conatibus addas,
Vt ceptum per te conficiatur iter.
Sic ego præclaras discam feliciter artes,
Vnde tuum nomen noscere ritè queam.
Facq; meam uera uitam uirtute nitere,
Vt summum claudam cum pietate diem.
Felix cui cordi est pietatem iungere sanctam
Inter mortales artibus egregijs.
Si Christum nescis sapientia nulla iuuabit:
Qui Christum didicit, sat didicisse puto.

Alter opes mittat quales Tagus, Hermus & Indus,
Et quales Lydi ripa beata uehit:
Xenia de nobis puero meliora dabuntur,
In quæ mors nullum ius retinere queat.
Munera nostra, puer, non tristi suscipe uultu,
Munera nanq; alius non meliora dabit.
Si placeant, uati meritas mihi soluito grates:
Sin minus, hæc pueris dona relinque pijs.
O Pater altitonans socios da noscere fidos,
Quorum sint olim corda probata mihi.
Sint socij nobis quorum non inuida mens est,
Et quibus est uirtus ac pietatis amor.
En, tibi committam socio secreta tacenda,
Hosti ne facies hæc manifesta meo.
Plenus rimarum, mi Parmeno, dicito si sis,
Vt noscam mores te referente tuos.
Si fidus cupis esse mihi ne quæso reueles,
Quæ mihi quàm prosunt plus patefacta nocent.
Nónne senex Stygijs Phrygius torquetur in undis?
Causa fuit pœnæ garrula lingua suæ.
Sancta uiris iustis cohibet prudentia mentem:
Nullus ages unquam Tantalus Harpocratem.
In labris retinent homines sua uerba maligni:
Cordibus includunt uerba tacenda boni.
Nolumus ut semper latebrosa silentia præstes.
Est uirtus apto tempore posse loqui.

Verba loquenda uiris doctis mediteris oportet.
Neu temerè effundas dicta nefanda caue.
Subsannatori non tradito dogmata sacra:
Pectora si doceas relligiosa, sapis.
Dicturus paucis perstringito singula uerbis.
Nil peius nimia garrulitate puto.
Insipiens frustrà torquet uolitantia uerba,
Prudentes norunt rebus habere modum.
Præclaros monstrant animos prudentia dicta
Cordibus è stultis stulta loquela fluit.
Publica quandò geres opulenti munia regni,
Non habitet uanus risus in ore tuo.
Edit Stentoreo fatuus clamore cachinnos,
Dùm sapiens facilè se cohibere potest.
Non mihi scurrilis leuitas, grauitásue superba
Perplacet: at leuibus seria spargo iocis.
Pone graues curas, mentemq́; remitte seueram,
Cum socijs quandò mitia uina bibis.
Non tetricos homines laudo tristesq́; Catones,
Quos nec culta chelys, nec bona uina mouent.
Differ sermonem cùm musica grata sonabit,
Nil hac conuiuijs carius esse reor.
Ismarius syluas & saxa agit horrida uates,
Tangendo resonæ fila canora lyræ.
Musicus Amphion scopulos testudine curua
In muros fecit sponte coire, graues.

Fertur

Fertur Apollineus quondam delphinas Arion,
Cœruleos cithara detinuisse leui.
Miror si nequeant te musica plectra mouere,
Cùm ratione feras exuperare potes.
Vt studijs redeas alacris doctæq; Mineruæ,
Inquires menti pharmaca digna tuæ
Bacchica dona; chelys resonans, pulcræq; puellæ
Muneribus releuant pectora fessa suis.
Sed noli nimio tua perdere membra Lyæo
Cedat ut è castris mens generosa suis.
Repletus uino qui fit delirus & amens,
Auferet hic alapas, uulnera, uerba, minas.
Commessatores fugito Veneremq; nefandam,
Ne percas uictus fraudibus atq; dolis.
Pectora casta Deo serua, castißima mens est
Ipse Deus: casta uult quoq; mente coli.
Aurum quid quæris? uestes, gemmasq; nitentes?
Ampla satis forma est sancta pudicitia.
Non tibi mollicies animi sectanda: sed urge
Magnorum semper fortia facta uirûm
Splendida, crede mihi, contendit ad ardua uirtus,
Nec iacet in fœdo mens generosa luto.
Dicitur Alcides cœlum meruisse labore,
Sic etenim uatum turba diserta docet.
Heus, qui Palladiam cupias ascendere in aulam,
En labor, en uirtus uiuida pandet iter.

Quisquis

Quisquis ad obscœnam meretricem pectora uertit,
Ceu fracta naui per freta sæua ruit.
Os scorti Barathrum est rapiens feruentia corda,
Quæ tandem miserè respuet ipse Deus.
Præbet enim iuueni stillantia mella procaci,
Membraq; uipereo cætera felle madent.
Ne te decipiat muliebris forma caueto,
In uisco & laqueis ut leuis hæret auis.
Dic mihi quid meretrix aliud speciosa uidetur,
Quàm diadema sacrum sus lutulenta gerens?
Castra uoluptatis furiosæ dira sequentes,
In Phlegethontæas mox rapiantur aquas:
Ac illis mentem rapida cruciante Megæra
Angues tartareæ membra cruenta uorent.
Quid faciet Minos, & quid Rhadamantus in Orco?
Deniq; quid solers AEacus efficiet?
Scilicet, illorum quos urit tetra libido,
Quilibet in pœnas ingeniosus erit.
Turpis amor nimium spurcæ meretricis habetur,
Non damno si cui pulcra puella placet.
Est asinus quisquis non flagrat amore puellæ,
In cuius uultu gratia dia iacet.
Formosis noli tua mittere munera Nymphis,
Quarum non ardor mutuus esse queas.
Blanda puella mihi dùm ludit amabilis ore,
En, ueluti precium maxima dona petit.
Muneribus

Muneribus nostris an gaudeat ulla puella?
  Grandia donabis dona, recocte senex.
Nónne putas illis me munera magna dedisse
  Si poterunt nostra uirginitate frui?
Quæ do uirginibus mihi rursus reddier opto,
  Basia si dedero, basia habere uolo.
Non ego plura peto: satis est hæc sumere dona.
  Cur etenim mollis Sardanapalus ero?
Si tibi legitimis tua tædis pectora flagrant,
  Coniugium gignet commoda multa sacrum.
Præbet terra ferax fructus, & fertilis arbos.
  Connubij fructus quis recitare potest?
Vt tibi proueniant lepidi cum coniuge nati,
  A putridis uetulis abstinuisse decet.
Malo pauperiem nuda cum uirgine duram,
  Dummodo sit forma, moribus atq; pijs:
Cum uetula turpi quàm maxima munera Ditis,
  Et quàm diuitias, Crœse superbe, tuas.
Exhilarat coniunx suauem speciosa maritum,
  Dùm thalami profert pignora cara sacri.
Fœmellam castam qui spernit dignus habetur
  Sandalijs cerebrum cui minuant Lamiæ
Heus, nimium dominæ ne laxa frena seueræ,
  Te famulum ut cogat sceptra subire sua.
AEqualem pulcer iuuenis tibi iunge puellam,
  Nupsisse uxori ne uideâre tuæ.

Nubat uirgo uiro, uiuat subiecta marito:
Vir debet caræ coniugis esse caput.
Imperium quisquis patitur muliebre libenter,
Nec uir nec nasci fœmina dignus erat.
Tu sacra Gorgoneas undas cui Musa ministrat,
Dùm puer es Venerem compede stringe malam.
Tutus eris donec teneros extinguis amores,
Quandò coquit pectus bella puella tuum.
Ipse ego non didici quæ curæ pectus amantis
Tundunt: at miser est, hoc scio, quisquis amat:
Ingenij uires, formæ decus, optima Ditis
Munera consumis tu Cytherea Venus.
Dicam quid sit amor? nihil est nisi dulcis amaror,
Illecebris urgens pectora stulta suis.
AErumnæ duræ, suspiria tristia, luctus,
Pluraq; purpureo sunt in amore mala.
Et quia plus fellis quàm mellis habet, nisi fallor,
Doctiloquis Graijs est γλυκύπικρος amor.
Si sapias igitur purissima pectora serua,
Ne sit dùm uiuas mens malesana tibi.
Et rectè faciens uulgi mendacia ride,
Cùm linguas hominum non cohibere potes.
Omnia quis potis est uinclis constringere uerba,
Garrula cum frenum rumpere lingua solet?
Quantumuis homines fundant maledicta maligni:
Sit tamen in uero spes tua fixa Deo.

Non secus ac subitò flagrans extinguitur ignis,
Cùm locus est liquidis sparsus adustus aquis:
In puram uitam collatum crimen abibit.
Impia nam pereunt uindice uerba Deo.
Sese metitur sapiens sua crimina cernens:
Attendunt saltem facta aliena mali.
Per mare, per terras, puer ô fuge facta nefanda,
Et cole sincera relligione Deum.
Cùm foedum facinus perpetrauêre proterui,
Rident: uidisse hoc, est sapientis opus.
Exornat firmam simplex constantia mentem:
Instabiles animos concutit aura leuis.
Nullus in orbe mihi uiuit tàm iunctus amicus,
Pelleret in prauum qui mea corda scelus.
Odi quos miserè fecerunt munera caecos,
Ne placidam possent cernere iustitiam.
Vt Dij uos perdant leges qui uenditis aequas,
Vexantes miseris tristia regna modis.
In rigidos bilem tu concipe, Christe, tyrannos,
Ne populo fraudes insidiasq; struant.
Extollunt cristas furiosa caterua malorum,
Inq; pios uibrat noxia tela Satan.
At tu, care puer, fastu turgescere noli.
Deprimit excelsus corda superba Deus.
Nil turgente freto, stultis, animoq; superbo,
Et muliere mala durius esse puto.

Non tamen omnino ſtudium iuuenile reprændo,
Pectora cùm certant ambitione leui.
Gloria uirtuti calcaria præbet honeſtæ,
Grandeq́; magnifica laude leuatur onus.
Quo maior fueris fortuna, nomine, fama:
Agreſti tanto ſis feritate minor.
Mellifluo ſermone homines bonus excipit omnis,
Monſtroſaq́; tument aſperitate mali.
Non ego blanditijs moueor uerbisúe proteruis,
Dulcia ſincero pectore uerba uolo.
Mitigat iratum ſocium reſponſio mollis,
Dùm magis atq; magis lingua petulca nocet.
Inter mortales fortißimus ille putatur
Affectus proprios qui cohibere poteſt.
Igneſcens odium lites & iurgia gignit,
Plurima quandò tegit crimina uerus amor.
Dißimulant odium mendaces: turba maligna
In iuſtos homines dira uenena uomit.
Improbus eſt nebulo qui ſe mihi finxit amicum,
Ebrius aſt animum prodidit iſte ſuum.
Nunquam, ſi ſapias, talem tibi iungito fratrem:
Nam melius diris eſt habitare lupis.
Inter pungentes tribulos ſpinasq́; minantes,
Illæſis pedibus uix gradieris iter.
Vt ſcopulos refugit præclarus nauita duros:
Sic hominis fugies fœdera uana mali.

Fingent

Fingenti uultum non ſemper credere tutum eſt,
Sub ſpecie angelica monſtra tremenda latent.
Pulſa fides paßim per plurima regna uagatur,
Conſilium quærens auxiliumq; ſibi.
Non ualidas urbes, ſpecioſas non habet arces:
Cogitur in uili delituiſſe caſa.
Fraudibus atq; dolis, eheu, ſunt omnia plena.
Omnia plena uides fraudibus atq; dolis.
Cara fides quare noſtra diſcedis ab ora?
Num petis Eoos? num petis Heſperios?
Heu, perijt perijt, nuſquam reperitur in orbe
Heu, perijt perijt, quis modò tutus agat?
Credulus à falſis multum ſum læſus amicis:
Exemplo reprobos diſce timere meo.
Ille ſapit quiſquis damno fit cautus amici:
Qui nunquam diſcit ſtultus habetur iners.
Omnibus arride, facilem ſed quære ſodalem,
Rebus in aduerſis qui tibi fidus erit.
Rarus at eſt Pylades, ſed Ionatha rarior illo eſt,
Vſqueadeò noſtri nos malus urget amor.
Vt poßis ueros & amicos noſcere falſos,
Proderit interdum fingere multa tibi.
Vnica non ueris tempus deſignat hirundo,
Nec ſocios fidos nunciat una dies.
Illis conuerſare diu quos noſcere ad unguem
Exoptas: id enim Tullius ipſe docet.

Dilige sincerè quos cernis adesse fideles:
Barbariæ plena est res simulatus amor.
Inflicta à socio malo mihi uulnera fido,
Oscula quàm tecto sumere mista dolo.
Non leuibus ueterem causis mutabis amicum:
Ignoras tanti num nouus esse queat.
Paupertate graui pressos releuato benignè:
Nescis quid uoluant fata maligna tibi.
Felix qui miseris donat sua munera, nanq;
In superis aulis retribuetur ei.
In reprobos homines nolo tua dona profundas,
Forsitan illorum ne tueâre scelus.
Vulcano ardenti potius mea munera mittam,
Quàm prauis quibus est mens malefida uiris.
Viuere dum liceat tu partis utere rebus:
Post mortem nullas quippè tenebis opes.
Nec Lydum Stygij Crœsum Plutonis ab æde
Diuitiæ, nec te Crasse superbe, trahent.
Illorum neuter nunc paupere distat ab Iro,
Infima tàm similes hos facit esse domus.
O uos Christigenæ fatis melioribus orti,
Diuitijs uestris discite ritè frui.
Cur potius dentem quàm donas, Euclio, nummum?
An tanti nummus sordidus esse potest?
Sic fortuna uiro reputatur adesse tenaci,
Vt penes eunuchum florida uirgo cubans.

Attamen eunuchus longè felicior est te.
Is nam testiculis, tu ratione cares.
Inter diuitias nolito Tantalus esse,
Fluctibus in medijs qui sibi quærit aquam.
Est felix qui sorte sua benè transigit æuum.
Infaustos rerum dira cupido facit.
Cum pietate Dei modicum retinere iuuabit,
Plus quàm cum curis, quas habet Indus opes.
Fraudibus & technis abs te congesta recedent,
Nam cancri gressum res malè parta tenet.
Implicitus laqueo quidam pendebat auarus
Inter opes, sibi quas fraude doloq; tulit.
Si tibi, quisquis ades, non prorsus plumbea mens est,
Dic mihi num pauper, diues an iste fuit?
Pauperis excelso domino casa paruula curæ est:
Tecta Deus reprobi diruet ipse uiri.
Non paupertatem posco, nec munera Ditis
Grandia: sed uitam quæ refouere queant.
Non te detineat dominandi stulta cupido:
Est nimium felix quem casa parua tenet.
Vade sine inuidia nec turgida pandito uela;
Fortuna decus est uiuere posse tua.
Caula patris cordi est mihi plus quàm Cæsaris aula,
Dùm procul à nobis palpo dolosus abest.
Bellus homo degit nostræ notißimus aulæ,
Qui caudam iactat sedulus usque suam.

Hunc uos præcipitem furiæ rapiatis in Orcum,
Ne quos blandisona perdere uoce queat.
Dulcia, Bacche tener, mihi saltem pocula præbe,
Et preme Threiciam, docta Thalia, lyram.
Arride ueneranda Cypris mollisq; Cupido,
Tuq; iuua studium, pulcra Diana, meum.
Tempora dùm nobis circumdat Delphica laurus,
Adsitis Charites, Sicilidesq; Deæ.
En, mihi festiuam detur benè degere uitam,
Virginis & uultum posse uidere piæ.
Optima uina bibam, citharam pulsabo canoram,
Affigam Musis oscula blanda meis.
Addam tura foco, depellam pectore curas,
Et commendabo cuncta pericla Deo.
Cæsaribus magnis sublimia linquo trophæa,
Et quæ miratur munera uulgus iners.
Aulicus ante fui, noui quid proderit aula,
Aulica, si sapias, munia mitte, puer.
Qui pius esse cupit fucosam deseret aulam,
Nunc humiles uirtus cepit habere domos.
Fœdera fregerunt uirtus & summa potestas,
Cum scelere infando nunc coiêre duces.
Tu pater omnipotens qui regum corda gubernas,
In uera retine relligione tuos.
Sunt reges pauci quibus est Ecclesia curæ,
Hos fac perpetua sistere posse fide.

Fundite uota pij pueri, castæq; puellæ:
    Vox poterit summum uestra mouere Deum.
Effundens tristis lacrymas Ecclesia mœstas,
    Auxilium regum præsidiumq; petit.
Ferreus est quisquis non hanc releuare laborat,
    Cum pietas uero grata sit ista Deo.
Qui Christi cœtum defendet, magna pericla
    Sentiet: hoc omni tempore fata uolunt.
Sis animo forti, atq; malis opponito pectus,
    Horrida si sors te sternere fortè uolet.
Perpetuò quis enim felix? quis faustus ubiq;?
    Vertitur instabili cum Dea cæca rota.
Euertit quosdam, nonnullos tollit in altum,
    Eleuat euersos, diuitijsq; beat,
Deprimit elatos. hic crebrò uoluitur orbis:
    Nunc teneas regnum, nunc tua sceptra cadant.
Victor erit quisquis poterit perferre minantem
    Fortunam: nescit qui mala ferre, ruet.
Nónne malus miles truculento cæditur hoste,
    Probrosæ quandò uult dare terga fugæ?
Non aliter curæ prosternunt corda sequaces,
    Dùm nequeunt minimum sustinuisse malum.
Si nobis olim fiet fortuna sinistra,
    Aurea uel nullas copia fundet opes:
An tunc succumbam fluctu iactatus acerbo?
    Inuadatq; malus pectora nostra dolor?

Dij melius, uitæ contemnam dura pericla,
Cum uirtute mihi fama parata, manet.
Hanc non tristis hyems lædet, non ira latronum,
Vnda nec irati perniciosa maris.
A patria cedens cara peregrinus agebam,
Excolerem ut claris artibus ingenium.
Ignotis quandò uixi studiosus in oris,
Algida sæpè tuli frigora, sæpè famem.
Non aderat nobis pater, & dulcißima mater,
Non socius ueram qui mihi ferret opem.
Attamen excelsus iuuenem me rexit Iesus,
Vnquam ne rueret mens generosa mihi.
Horribilem uici Scyllam, uastamq; Charybdin,
Sumq; meis Musis redditus incolumis.
Sed benè habet, gnatis olim recitare iuuabit,
Quàm fortuna mihi dura nouerca fuit.
Nullos, ô pueri, doceo traducere mollem
Vitam: uos iubeo tristia multa pati.
Otia pauperies, sequitur fortuna labores.
Hoc qui non poterit cernere, nullus erit.
Cimbricus hæc præcepta tibi Vibergius offert,
Hunc benè dum uiuas consuluisse feres.
Mox ego digna meæ patriæ trepteria reddam,
Et tibi posteritas scripta diserta dabo.
Vos modo fatidicæ mea ducite stamina Parcæ,
Ne uitam rapiat mors uiolenta meam.

Et quem bis decies Aries portabat ab ortu
AEthereus nostro, Phœbe canore, faue.
Sisq; meis studijs & portus & aura Melanthon,
Qui candore probas carmina nostra tuo.
Summe parens, & imago patris, flatúsq; perennis,
Qui Deus æternus, uiuus, & unus, ades:
Ad meliora meam quærendum dirige mentem,
Vt detur soli gloria lausq; tibi.
Effigiesq; nigros mea dum mittatur ad Indos.
In patriam propera, Cimbrica Musa, meam.
Parua quidem, sed grata pio fer dona parenti,
Vnde queam genti notior esse meæ.
Repperies aliquos qui te lacerare studebunt,
Hos tamen inuidia se macerare sine.
Doctorum si te ueneranda caterua uirorum
Suspicit, eximiæ sat tibi laudis adest.
Laus ea quam nobis tribuunt doctiq; pijq;,
Non uolat AEolijs mox peritura Notis.
Nereides donec ludant, & Balthica Thetis,
Vel minimo nobis carmine stabit honos.
Flammigeros nunc mergit equos Hyperione natus.
Ite boni pueri, uos Deus ipse reget.

Simpliciter uirtutis
amore.

PHILIPPVS MELANTHON LECTORI S. D.

SVA cuiq; uirtus uera & præcipua commendatio est apud prudentes, qui statim & iudicare ingenia possunt, & uirtutem amant. Extant autem Poëmata præclarè scripta Iohannis Georgij nati in oppido Cimbriæ Viberga, quæ & naturæ ipsius bonitatem, & eruditionem & uirtutis studium ostendunt. Quare me satis esset nomen ipsius indicare ijs, qui eum antea non norunt. Docti enim statim eum complectentur propter facultatem ingenij & morum suauitatem. Sed tamen quia in familiari consuetudine magis introspiei hominum naturæ possunt, etiam iudicij mei testimonium ei tribuere uolui, cum amplius biennio nobiscum ita uixerit, ut propter morum suauitatem & studia mecum ei magna familiaritas fuerit. Vidi congruere ad ipsum, Aristidis dictum, qui interrogatus quomodo tantum uirtutis decus adeptus esset, respondit Naturam ualere plurimum, sed se studiose naturam adiuuisse. Ita cum in Iohanne Georgio semina sint omnium uirtutum, amor iustitiæ, & ueritatis, candor animi & pudor, ipse singulari diligentia hæc bona ornat, iustitiam & fidem summa cura tuetur, & in omni actione modestiam præstat. Eruditionem eius, scripta ostendunt. Adiunxit autem

ad Latinæ

PHILIPPVS MELANTHON.

ad Latinæ linguæ cognitionem & græcam linguam. Et cum domestica disciplina à patre uiro integerrimo ad ueram agnitionem Dei institutus sit, & postea fontes doctrinæ de Deo & de Domino nostro Iesu Christo crucifixo pro nobis, & resuscitato, studiosè didicerit ipse, uera inuocatione Deum colit, & pietatem animi honesta morum gubernatione declarat. Itaq; & patriæ gratulor tale ingenium, & Deo gratias ago, quòd seminaria aliqua seruat Ecclesia, & quòd patri seni declarat familias piorum curæ esse, sicut scriptum est, Generationi rectorum benedicetur. quæ diuina sententia in dulcißimo uersu recitata est.

εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λῷα, δυσσεβέων δ' οὔ.

Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut hunc Iohannem Georgium seruet incolumem, ac gubernet & faciat cum σκεῦος ἐλέους, ac organum salutare patriæ & animæ suæ. Bene uale Lector.





ΒΙΒΕΡΓΙΟΣ.

Σώματος οἱ βροτέοι μορφὴν ὀφθαλμοὶ ὁρῶσι,

τὴν ψυχὴν ἤθη δείκνυσι καλ᾽ ἀγαθήν.

IOHANNIS GEORGII VIBERGII DISTICHA MORALIA.

IOHANNES FRANCISCVS RIPENSIS.

Honeſta ſi quæ feceris
Cum maximis laboribus:
Cedentibus laboribus,
Dulcis manebit gloria.

Si turpe quid commiſeris
Cum gaudijs ampliſsimis:
Abibit omne gaudium,
Turpi manente infamia.

En, omnibus duplex iter
Proponitur mortalibus.
O clara mens accingere,
Virtutis ut carpas uiam.

Scriptum legens Vibergij,
Virtutis ô cultor ſacræ,
Vt Danicam Rempublicam
Gnatus Dei ſeruet, roga.

σὺν θεῷ.

IOHANNES GEORGIVS VIBERgius Danus, Patriæ ſuæ dulciſsimæ εὖ πράττειν

ETSI grauibus interdum ſtudijs defatigatus, alijsq; curis quarum uix impetum mens mortalis patitur, obrutus ad artes confugiam iucundiores, quales ſunt illæ quæ conſiſtunt in re equeſtri, in diuerſis armorum generibus, & in harmonijs teſtudineis: tamen nulla re ita afficior ac Poëſi. Itaq; cùm superiores Germaniæ ciuitates luſtrarem, & ad diuerſas proficiſcerer Academias, tàm ut memetipſum nonnihil in hoc ſtudij genere exercerem, quàm tædiũ temporis fallerem, Elegidia pauca luſi (nam ſic itineraria mea Poëmata nominare placuit) quæ iam paßim à literarum ſtudioſis teri uideo. Poſtea uerò, ad diſciplinarum cognitionem magis inflammatus, cùm in ſtudio iuridico paululum uerſarer, Diſticha quædam moralia feci, quæ tibi, ô cariſsima patria, conſecrare uolui, ut aliquod extaret monumentum noſtri erga te amoris, qui tantus eſt ut omnium exiſtimationem facilimè ſuperet. Verè tibi dicere poſſum, quod quondam ſuæ patriæ dixit Praxithea illa Erechtei coniunx, ut refert Euripides.

Ω πατρὶς εἴθε πάντες οἳ ναίουσι σε,
οὕτω φιλοῖεν ὡς ἐγώ, καὶ γέ ῥαδίως
οἰκοῖμεν ἄν σε, κούδὲν ἄν πάσχοις κακόν.

Oro

Oro æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut te tuosq; gubernatores in uera pietate & salutifera religione perpetuò conseruet.

AD CHRISTVM.

GLoria lausq; lyræ, & uatum decus, optime Christe,
Diuino nobis ora liquore riges.

AD MVSAS.

Flores uosq; nouem gratos mihi ferte sorores,
Nectatur patriæ digna corona meæ.

AD INCOLAS DANIAE.

Adsunt Libethrides, dilecti surgite ciues,
Omnibus, en, uobis munera larga dabunt.

CVLTVS DIVINVS.

Inprimis reuerere Deum: sanctißima res est,
Vt præstes summo debita sacra Deo.

INVOCATIO NVMINIS.

Sic procedet opus faustum populisq; tibiq;,
Cùm uerè à Christo mens tua poscet opem.

FIDES.

Munere quandò cupis magnum placare Tonantem,
Cura sinceram cernat adesse fidem.

CHRISTIANA IVSTITIA

Non rasus uertex, non tus, non horrida uestis:
Inclyta sed reddit pectora iusta fides.

PROBITAS.

Tu probitate graui generosum pectus adorna,
Sic tibi cœlestis concilietur amor.

POENITENTIA.

Crastina nemo suæ promittat tempora uitæ.
Fac hodiè uideat pectora iusta Deus.

PRVDENTIA.

Perspice quæ nunc sunt prudenter, quæq; sequentur,
Præcipitem ne te deuius error agat.

FORTITVDO.

Per gladios, ignes, scopulos, uirtutis amore
Tendens, infracto pectore uince malum.

TEMPERANTIA.

Non uanas pompas, nec turpes approbo sordes.
Est aliquid mediam carpere posse uiam.

IVSTITIA.

Fac iustè, Deus est iustus, non æqua relinque,
Ipse Deus iustus pectora iusta probat.

LEX ET RELIGIO.

Cum natura iubet patriam defendere nostram,
Ne pereant leges, relligioq; uide.

VIS

VIS LEGVM.

Iusta uelut tribuant præstanti præmia ciui:
Sic reprobos damnent inclyta iura uiros.

IVDEX.

Quod ualidum satis est obscœna pecunia frangit,
Iudex ne subitò decipiare caue.

CIVITAS.

Non sine mente potest nostrum consistere corpus,
Vrbs neq; diuina lege carere potest.

VTILITAS PVBLICA.

Non ita fraternum quisquam curabit amorem,
Vt uideat patriæ publica damna suæ.

PATRIA.

Tàm caræ patriæ quàm nostri uiuimus ergô:
Pro dulci patria grande feremus onus.

PAX CIVILIS.

Horrida non quæras funesti prælia Martis,
Regno pax requiem præbeat alma tuo.

VIRTVS BELLICA.

Intortam ualidis hastam uibrato lacertis,
Pro lege & patria fortia bella gerens.

FOEDERA.

Fœdera sancta tuæ fidei uiolare caueto.
Perfidiæ pœnas exiget ipse Deus.

ANIMVS ERGA HOSTES.

Vincas non temnas hostem cui candida mens est.
Fœdera cum nequam contrahe nulla uiro.

SOCIVS.

Pectore sincero carum uenerare sodalem.
Fictus amor peius quolibet hoste nocet.

CONSILIA MALORVM.

Effuge consilia, & consortia linque malorum,
Iustis unde uenit magna ruina uiris.

AFFECTVS ANIMI.

Pauper eris subitò quem nunc fortuna beauit,
Si non affectus fortiter arte regas.

VOLVPTATES.

Pelle uoluptates fœdas, crudosq; dolores.
Hæc etenim in præceps pectora multa trahunt.

SVPERBIA.

Non tumidum stimulet uentosa superbia pectus,
Abdita cùm nescis quid tibi fata uehant.

HVMANITAS.

Munere quò magis es claro Rhamnusidis auctus,
Vt tanto maior sis pietate stude.

RECTA RATIO.

Nil tentes quod non uera ratione probatur,
Sic potis es longas ire redire uias.

FORTV-

FORTVNA ADVERSA.

Aduersis pressus noli succumbere rebus.
Summus fata Deus dura leuare potest.

ERVDITI.

Eximias urbes sapientia diua gubernat,
Fac sapienti ergò detur in urbe locus.

NOBILITAS.

Inclyta nobilitas summa uirtute paratur.
Huic igitur meritò dignus habetur honos.

PATRIAE DEFENSORES.

Regnis & populis haud res preciosior ulla est,
Quàm qui pro patria fortia bella gerit.

HOSPITES.

Hospitibus quandóque bonis qui iura negauit:
Huic equidem infensos arbitror esse Deos.

ADVLATORES.

Cedat ab urbe tua Gnato, palpoq; dolosus,
Sub quorum lingua dira uenena latent.

PRAEMIA VIRTVTIS.

Vt stimuli sacræ uirtuti dentur acerbi,
Exornet dignos gloria digna uiros.

CONIVGIVM.

Vt Deus instituit naturæ debita redde.
Quid sine mellifluis fructibus arbor erit?

CONIVGVM CONCORDIA.

Cum pietate bonas iungat concordia mentes,
Vt sunt legitimo corpora iuncta toro.

PATIENTIA.

Omnia sublimi tibi demittuntur olympo.
Si mala, si ueniant læta ferenda, feres.

SORTE VIVENDVM.

Non una fundit sua munera Iuppiter urna,
O homo fortuna uiuere disce tua.

PARENS.

Splendida sis gnatis ueræ uirtutis imago,
Nomina sic dulcis uera parentis habes.

NATVS.

Exprime magnanimi præstantia facta parentis,
Non aliter gnati nomine dignus eris.

FRATRES.

Viuite concordes, concordes uiuite fratres,
Coniunctos fasces frangere nemo potest.

PRAECEPTOR.

Inuidia peius nil totus continet orbis,
Tradito sincerè quæ tibi Musa dedit.

DISCIPVLVS.

Non secus ac pater est carus præceptor amandus,
Hic mentem nutrit, corpus at ille fouet.

DISCIPLINAE LIBERALES.

Exorna mentem studijs & rebus honestis,
Et mala pro patria plurima disce pati.

INDVSTRIA.

Languida præstantes corrumpunt otia reges.
Sis alacer membris menteq; , sanus eris.

IN VIRTVTE PERSISTENDVM.

Si benè cepisti, fausto omine perge, nec unquam
Te iuuet inceptam deseruisse uiam.

VLTIMA VITAE META.

Fata manent omnes, ô terq; quaterq; beatos
In uera claudunt qui pietate diem.

AD CHRISTVM DOMINVM.

Summi gnate Dei uitæ reparator & autor,
Tu rege consilijs pectora nostra tuis.

AD DISTICHA SVA.

Claudite nunc riuos, mea disticha claudite riuos,
Tibia septiforis grandius urget opus.

AD DANIAM.

Dania cara meis tua tempora cinge coronis.
Et tempus uati molle precare tuo.

FINIS.

ORATIO PRAXITHEAE VXO-ris Erechthei apud Euripidem, quia dul-cißimè de officijs patriæ debitis disse-ritur, conuersa à Philippo Melanthone.

SI quis beneficium daturus est ciuibus,
Id gratius fit liberali pectore
Et spontè cùm datur, Datum morosius
Lenteq́; , non habebit ullam gratiam.
Ergò uolens gnatam exhibebo patriæ,
Vt fiat hostia pro salute publica.
Mentemq́; causæ permouent graues meam.
Vrbs nostra multis antecellit cæteris,
Nequaquam enim confluxit huc ex dissonis
Confusa multitudo gentibus, gerens
Moresq́; naturasq́; dißimiles sibi:
Sed mater hæc est una tellus Attica,
Stirpis uetustæ ciuium, ex hoc quam solo
Mundi architectatrix creauit mens Dei,
Virtutis acres inserens stimulos satæ.
Sed condidêre urbes coloni cæteras,
Paßim profecti dißitis regionibus,
Non congruentes mentibus, lusor uelut
Si discolores in fritillo misceat
Talos. At urbem quisquis externam incolit,
Vt in tigillo nodus asper eminens,

Cen

Ceu tignum ad ordinem ædificij non quadrans,
Non ille mente ciuis est, sed nomine.
Nostra ergò pro patria, uerendis legibus,
Et constituta moribus bonis decet
Pericla adire & perpeti ærumnas graues,
Caussamq; quare procreamus liberos,
Hanc esse præcipuam putandum est, ut Dei
Notitia luceat futuris seculis,
Semperq; custodes sient superstites
Cœlestium legum atq; templorum Dei,
Qui in patria tueantur has res optimas,
Et disciplinam ciuium & mores bonos,
Non impia feritate deleri sinant.
Nec franget ullus hoc nostrum pectus timor,
Violare leges ut uelim sanctißimas,
Quæ singulos prodesse patriæ iubent,
Cum morte filiæ unius periculo
Nunc liberari tota poßit ciuitas.
Nam me docet numeratio, ut seruem magis
Quod plus uidemus esse, quàm quod est minus.
Vnam domum labi, minus certè est mali,
Quàm ciuitatem ruere totam funditus.
Si pro puella germen esset masculum
Natum mihi, bellumq; fortè posceret,
Ciues ut hostem dimicantes prælio

Depellerent, num filium mortis metu
Recusem in aciem mittere? At uerò mihi
Tales ego opto filios, qui fortiter
Et prælientur & uelint excellere
Inter uiros uirtute clari cæteros,
Nec sint in urbe ceu figuræ inutiles,
Aut picta ceu simulacra parietes tenent.
Sed sepè matrum lacrymæ cùm filij
Arma induunt, animos eorum effœminant.
Harum eiulatus atq; mollia pectora
Non laudo, quibus ignaua uita carior
Est filiorum, quàm decus pulcerrimum.
Et quæ suis suadere turpitudinem
Audent, honore nec sepulcri & posteri
Mouentur adprobatione seculi,
Quod prædicat uirtutem eorum laudibus
Veris & immortalibus, qui patriam
Et templa protexêre, nec mortis metu
Cessêre nostris hostibus, nec sanguinem
Vitamq; dubitârunt suam profundere.
Et filiæ nostræ futura est gloria
AEterna, si pro patria mortem oppetat,
Geminasq; seruabit sorores unica.
Cedam ergò gnatam, ut fiat hostia ciuibus,
Non dico enim esse propriè unius meam.

Nisi

Nisi qoud ex aluo meo ceu plantula
Nata est. At urbe perdita simul omnia
Perire nosq; liberosq; cernerem.
Sed dixeris, Extincta si sit filia,
Nos una in urbe sceptra deinde amittere.
Esto ferent ut fata, stirps tunc altera
In urbe nostra principem teneat locum,
Seruasse patriam maius est regno decus.
Deniq; uoluntas recta sit quod possumus
Præstare, legibus uolo sanctißimis
Parêre, nec uiolare eas sciens uelim.
Et interim fruar bonis communibus,
Legum ordine, atq; disciplina ciuium,
Quæ me uolente nullus hic deleuerit.
Non sede stantem Palladam firmißima,
Læuaq; terrificos tenentem Gorgonis
Angues, mouebit, aut ab arctoa plaga
Eumolpus huc exercitum ducens ferum,
Aut barbaræ gentis furor Thracensium,
Nec hostis hîc trophæa figet uspiam,
Nullos triumphos hîc aget, nec laurea
Victrice glorians superbè ornabitur.
Concedo ciues uictimam hinc abducite,
Vt salua sit uictrixq; nostra patria,
Nam filiæ uitæ salutem publicam,

ORATIO PRAXITHEAE.

Immota ſtat ſententia, anteponere.
O Patria, utinam diligant te ſinguli
Ciues, ut hoc ardet meum pectus tui
Amore uero, ſi uoluntas Principum
Talis foret, tranquillior ſtatus tuus
Maneret, & motus domeſticos mali
Ciere non poſſent, & hoſtes exteros
Arcere poſſet omnium concordia.

IOHANNIS FRANCISCI RIpenſis Elegia in natalem Iohan: Georgij Vibergij.

ROmani redijt nunc lux uigeſima Martis,
Quà læto & fauſto ſidere natus eras.
Hunc ſine labe diem quondam celebrauit alumnus
Sulmonis clarus Naſo Poëta, ſuum.
Phociaco ueſtes geſtauit murice tinctas,
Virgineos ducens lætus in orbe choros.
Theſpiadum retulit fragrantia ſerta ſororum,
Dùm premeret digitis fila canora ſuis.
Cum placidas tali tu ſis productus in auras
Luce, decet clarum te celebrare diem.
Cum Nymphis faciles nunc exerceto choreas
Grataq; melliſluæ plectra moueto lyræ

Pectore de tristi uigilantes pellito curas,
Quæq; decet Genio soluere, solue tuo.
Fac croceos cingas redolenti flore capillos,
Et pro natali suscipe uota die.
Autorem uitæ gratis celebrato Camœnis,
Qui dedit ingenio flumina larga tuo.
Te nascente simul riserunt numina cœli,
Arrisit summo Iuppiter ipse polo,
Sidera læta tuo placidè fulsêre sub ortu.
Vibrabant oculos cœlica signa suos.
Scilicet in primo degebat cardine cœli
Erigones (mirum) fulgida stella piæ:
Quæ tibi doctrinæ & uirtutis munera donat,
Et cultum uarijs artibus ingenium.
Sed Mars, heu, quarto cernens ex limine sæuus,
Vix bona concedit posse tenere patris.
Penniger ac Hermes pulcra de Pleiade natus
En, tua sollicito corda dolore grauat.
Extinctos flebis properata morte propinquos
Corrumpens lacrymis lumina sæpè pijs.
Et monet ut caueas socijs secreta benignis
Credere, uel iunctis sanguinitate uiris.
Dilacerare tuam cupient sine crimine famam,
Qua nullum est toto maius in orbe decus.
In Stygiam uellent, si possent fortè, paludem
Trudere, uel tali te lacerare modo.

At Deus


At Deus æthereus uerbo qui cuncta gubernat,
Cum petimus, precibus cedere fata iubet.
Cernis & in nona coniunctos arce seuerum
Falciferum, & placidam te Cytherea Venus.
Viribus ingenij talis coniunctio prodest.
Nascenti Bembo fulsit & iste situs:
Sed tamen inceptos non rarò turbat amores,
Et mentes falsa suspicione mouet.
Hac coniuncta domo tibi pars feret optima quæq;
Fortunæ, & meritis munera digna tuis.
Vt felix abeas peregrinos hospes in agros
Efficit: & longas ire redire uias.
Doctrinæq; auidum pectus tibi donat adesse,
Vt non nota alijs cernere multa queas,
Insuper undecima læti regione triumphant,
Cynthia magnanimo cum Ioue Luna patre.
Hic nisi retrogrado discurreret ordine, certò
Adderet hic uitæ commoda multa tuæ.
Attamen in propria retrogradus arce triumphat,
Hunc lætus semper gaudet habere locum.
Ergò tibi placidæ promittunt tempora uitæ,
Larga promittunt aurea dona manu.
Sic coniuncta situ cœlestia sidera fausto,
Significant uitæ tempora læta tuæ.
Solue Deo grates, dubio nec credito casu,
Sed data consilio munera tanta Dei.


Vtq;

Vtq; regat uitam, facies ardentia uota,
AEterno Christus de genitore satus.
Pòst etiam positis libemus pocula curis,
Lætitiæ fons sit sed Deus ipse tuæ.
Et citharam tenero nunc pollice tange sonoram
Effundens uarijs carmina blanda modis.
Sic facilis fiet, nisi me præsagia fallunt,
Pulcra puella mihi, pulcra puella tibi.
Transeat ille dies nobis sine nubibus atris,
Lætior ut redeat de bonitate Dei.

AD LECTOREM.

Secundum proprietatem Latinæ linguæ prius à doctißimo uiro Ioachimo Camerario obseruatam, caruere consueuimus consonantibus aspirationem addere, ut in dictionibus carus, sepulcrum & similibus. Charis, Phlegethon, Thetis, aliæq; uoces à Græcis transcendentes aspirationem admittunt. Deinde otium, uicium, felix, mistum, nanq;, iandudum: non ocium, uitium, fœlix, mixta, namq;, iamdudum scribimus. Sed de istis, iudicium esto penes doctos, quibus cognitæ sunt rationes. Indoctos admonuisse sat est, ne per imprudentiam nostra scripta immutent.




Foto 1648

